

ἀρχαιοτέρους^{vii}, *stolidos, simplices, deliros* dicit, *ignorantiam*
 ἄγνοιαν^{viii} crassam illis obiicit denique etiam furiosos fuisse as-
 serit:¹ *Haec quibusdam ob furorem nihil videntur differre.* In tantum
 5 licentiae illum in tantos viros, certe vel odium vel nimia sui per-
 suasio evexit. Archelai Atheniensis, nescio qua de causa, nomini
 pepercit. Hippocratis Coi (cuius doctrinae commentaria tantum
 sui libri sunt, ut author est Galenus) nomen conticuit. Xenocratis
 condiscipuli quidem, sed hostis sui, a quo de subselliis Platoni-
 cae scholae fuerat deturbatus, nusquam meminit (nam *Topicos*,
 10 ubi eius est facta mentio, de numero Aristotelicorum librorum
 iam pridem eiecimus) forte quod timeret severissimi illius viri
 auctoritatem (qui illi etiam aliquot annos supervixit) vereturque
 ne sibi aequa lance rependeretur, quod iam Cephisodorus^{ix}, Iso-
 cratis auditor, quatuor libris fecerat. At Ocelli, a quo multa etiam
 15 ipsis verbis dogmata transcripserat, Theagis, Meropi, Hippoda-
 mi, Perictiones, Euryphami, Callicratidae, nulla ab eo mentio
 facta, nullae gratiae redditae, nulla nominatione dignos censuit.
 Si quid illi antiquiores in homoeomeriis, atomis, aliis in philo-
 sophiam deliquerant, arguendi forte fuerant nulla mordacitate,
 20 sed philosophica et modestia et ingenuitate, semel forte ac pau-
 cis verbis, non autem 35 locis Anaxagoram, 15 Parmenidem, 50
 Empedoclem, 40 Democritum, 30 Pythagoram Pythagoreosque,
 60 Platonem. Indicanda potius eorum errata, quam plusquam
 dimidia suorum librorum parte, integris non semel voluminibus
 25 insectandi, ita, ut si quis ex eius omni philosophia antiquorum
 reprehensiones demat, quod illi Epicurum obiecisse scribit Laer-
 tius, longe minima eorum voluminum pars sit remansura.

At esto, maximis in rebus illi erraverant, insectandi acerbissi-
 me fuerant, infantia, balbuties, stoliditas, ignorantia, insania illis

¹ ταῦτα δ' ἐνίοις διὰ μανίαν οὐδὲν δοκεῖ διαφέρειν. [ARIST.G C. 325a.22–23]

^{vii} Usp. GA 736a.19 ἀρχαίους; takoder ARIST. GA 736a.19 ἀρχαίους i ARIST. Cael.308b.31 ἀρχαιότεροι.

^{viii} Usp. ARIST. Ph. 191b.11 ἄγνοιαν.

^{ix} Corr. ex Cephisodotus